



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.  
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

**Lampe, Friedrich Adolph**

**Herbornæ Nassaviorvm, 1728**

Caput III. De Communione Politica, & Of[fi]ciis, quae illa a Magistratibus ac  
Subditis Christianis, in diverso gradu constitutis, ad Reipublicae salutem  
requirit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28501**

## CAPVT TERTIVM.

*De Communione Politica, & Officiis, quæ illa a Magistratibus ac Subditis Christianis in diverso gradu constitutis ad Reipublicæ Salutem requirit.*

## SUMMARIUM.

*Post transitionem §. I.*

- I. COMMUNIO POLITICA describitur 2.
- II. Officia ex hac descriptione deducuntur 3 --- 44.
  - A. Fundamentum eorum indicatur 3 --- 5.
  - B. Officia ipsa enumerantur 6 --- 44.
    - I. Officia MAGISTRATUS 6 --- 26.
      - a. Quod eum gerere liceat, defenditur 6.
      - b. Quomodo gerendus sit, docetur 7 --- 26.
        - a. Virtutis, quibus fulgere debet 7. 8. 9.
        - β. Exercitium illarum virtutum 10. --- 26.
    - II. In susceptione Regiminis 11.
    - III. In ejus administratione 12 --- 29. cujus
      - a. Partes præcipuæ sunt 12 --- 25. \* P.



\* *Populum intrinsecus regere*

12 --- 21. *quo spectat*

† *Potestas LEGISLATO-*

*RIA* 13. 14. *quæ*

„ *Describitur* 13.

„ *Limitatur* 14.

†† *Potestas JUDICIARIA*

15 --- 21.

— *Illæ describitur* 15.

≡ *Pandus ejus rite exer-*  
*cenda indicatur* 16.

≡ *De objectis ejus agi-*  
*tur* 17. 18.

≡ *Officia ipsa enume-*  
*rantur* 19 --- 21.

„ *In sententia dicen-*  
*da* 19.

„ *In sententiæ execu-*  
*tione* 20. 21.

\*\* *Populum extrinsecus tueri*

22 --- 25.

† *Per Fœdera* 23.

†† *Per Bella* 24. 25.

b. *Media administrationem hanc*  
*prosperantia* 26.

2. *Officia SUBDITORUM* 27 --- 44.

a. *Quæ immediate debentur Magistra-*  
*tui ab omnibus* 28 --- 33.

α. *Quoad internum affectum* 28.

β. *Quoad externum effectum* 29.

--- 33. *quo spectat*

N. *Obedientia activa* 29 --- 32.

*quæ*

a. *As-*



a. *Afferitur.* 29 --- 31.

b. *Limitatur* 32.

γ. *Obedientia passiva* 33.

b. *Quæ Republicæ a singulis pro variâ  
conditione præstanda* 34 --- 44.

a. *A Nobilibus* 35.

β. *Ab Ecclesiasticis* 36.

γ. *A Jurisconsultis* 37.

δ. *A Medicis* 38.

ε. *A Mercatoribus* 39.

ζ. *Ab Opificibus* 40.

ς. *Ab Agricolis* 41.

η. *A Nautis* 42.

θ. *A Militibus* 43.

ι. *A Pauperibus.* 44.

## I.

Contemplati sumus Regnitum agentem in *Ecclesia*. Videamus eundem sancte in *Mundo* degentem. Hic iterum duplicis *Communions* membrum est; quatenus in Republica vivit, *Politica*, quatenus in privata domo aut familia, *Oeconomica*.

II. COMMUNIONEM POLITICAM nominamus *Societatem civilem*, quæ diversimode per singularem quandam Dei providentiam inter Imperantes & Subditos coaluit ad communionem Republicæ salutem. Nos missis, quæ de origine ac forma Rempublicarum promiscue consideratarum disputari possunt, illa duntaxat libabimus, quæ Rege-  
nito Christiano relate ad Rempublicam in-

cum



cumbunt, five *Magistratus*, five *Subditi* personam gerat.

III. Ante omnia *Scopus* obversari Christiano debet, in quem *Societas Civilis* tendit. Ille non secundum intentionem hominum, perversis affectibus actorum, sed secundum intentionem ipsius Dei est æstimandus. Quære hic supremus omnis Reipublicæ rite institutæ *finis* nobis est, ut peccator in corrupto hominum statu externam opportunitatem operandi salutem suam ad gloriam Dei nanciscatur. Id sequitur:

(1) Quoniam necessitas primaque anfa Reipublicas legitimas erigendi data est per peccatum, ac sigillatim per eorum violentiam, qui hanc opportunitatem eripere volebant.

(2) Quia *Finis*, in quem ipse Deus mundum conservat, est Ecclesiæ conservatio & electorum salus. *Rom. 2. 4. & 1. Tim. 3. 9. - 15.*

(3) Si *Salus Singulorum* est *Finis* Reipublicæ, tum liquet, quod quo perfectior est *Salus*, ad quam *Leges Societatis civilis* tendunt, eo perfectior sit ipsa Reipublicæ *Forma*.

(4) *Salus temporalis* & *eterna* ita sibi invicem sunt innexæ, ut illa absque hac inanis umbra sit.

IV. Impudentissima ergo calumnia est, quæ non solum Religionem in genere, sed etiam Religionem Christianam præ reliquis cum fundamentis Societatis civilis esse *ἀσυστατον* pronuntiat. Contrarium non solum liquet ex Regimine tum Patriarchali, tum Theocratico Vet. T. sed etiam ex interiori Legum Christi indole, quæ quo accuratius

tius



tius observabuntur, eo florentior Reipublicæ Status reddetur.

V. Quicquid idcirco Christianus pro salute Reipublicæ suscipit, convenienter huic Scopo suscipere debet. Unde infertur, quod ubi Communionis Ecclesiasticæ ac Politicæ salus inter se committitur, prioris semper potior ratio habenda sit.

VI. Hoc supposito incipimus ab *Officio MAGISTRATUS Christiani*. Longissime enim ab eorum errore absumus, qui Christiano indecorum statuunt, Magistratum gerendi provinciam *ambire ac suscipere*. Dantur quidem *casus* in Reipublica, sive infidelium, sive peccaminosis moribus plane deturpata, in quibus nequidem *suscipere*, nedum *ambire*, eum licet, quia *abdicare se* Magistratu satius est, quam conscientiæ vim inferre. Ubi tamen illi non extant, non solum *licitum* est, sed etiam pro re nata incumbit Christiano, Regiminis politici onus promte in nomine Domini suscipere.

(1) Magistratus est institutionis divinæ Rom. XIII. 1. Ad ipsos Magistratus gentiles id extenditur Joh. XIX. 11. & inter beneficia, quæ Filius Dei in Regno Gratiæ præstat, recensetur Prov. VIII. 15. Hinc *oleo sacro* Reges Israelis ungebantur.

(2) Magistratus summa est necessitas, ita ut sine eo ne Ecclesia quidem hospitium in terris invenire posset.

(3) Principes *pios* Spiritus S. in Scriptura testimonio suo exornat atque in exemplum proponit.

(4) Ma



(4) Magistratus *Deum timentes* egregiam præ aliis occasionem habent gloriam Dei & commodum Ecclesiæ promovendi.

(5) Qui Christianismum ex Optimatibus in primitiva Ecclesia amplexi sunt, etiam sub Principibus gentilibus publicum munus non deposuere, nec exuere jussi sunt.

VII. Verum quo illustriori loco sunt positi, eo clariorem lucem *Virtutum Christianarum* spargere de se debent. Tantum abest, ut licentia majori gaudeant præ subditis in foro poli, quemadmodum a parasitis sæpenumero ipsis persuadetur, ut potius major in quocumque *Pietatis* genere accuratio ab illis requiratur.

(1) Plus Deo debent pro *prærogativa*, quam ipsis supra aliorum sortem indulgit.

(2) *Fini* respondere debent, in quem Deus tanto honore præ aliis eos ornavit, qui non est, ut suæ voluptati litent, sed ut aliis profint.

(3) Majori gaudent sanctimoniam exercendam *opportunitate*, quia aliorum contradictioni ac contumeliæ propter praxin pietatis non ita facile sunt expositi.

(4) Si proximi salutem per pium *exemplum* unusquisque Christianus promovere debet, quanto magis illi, quorum exemplum longe plus apud homines valere solet.

(5) Contrarium Exemplum tanto plus damni affert, quanto magis in omnium oculos incurrit 2. Chron. xxxiii. 9.

(6) Tum maxime merentur *Uncti Domini* appellari, si *Unctos* se a Spiritu sancto per fructus Spiritus uberiores demonstrant.

Kk

(7) Re-



(7) *Regnandi onus* humeris eorum impositum singulare *Dei auxilium* requirit, quod illis est promissum, qui causam Dei fideliter agunt.

(8) Cum summa animi lubentia alia parebitur Magistratui, quem non suum, sed Dei honorem quærere animadvertent.

VIII. Ex dictis colligitur, quod quarumcunque virtutum Christianarum studio eminere fas sit Magistratum. Sunt tamen quædam, quæ præ reliquis eos idoneos reddunt ad Rempublicam feliciter gerendam.

(1) *Sapientia* indigent ad discriminandum, quæ verum Bonum Status conficiunt, aut impediunt. Hanc eapropter primo loco Salomon expetiit & obtinuit 1. Reg. III. 9. 12. IV. 29. 30. Eccles. IV. 9. 10.

(2) *Prudentia* requiritur ad *Consilium* singulis circumstantiis conveniens tempestive capiendum 2. Sam. XI V. 17. Prov. XVI. 10.

(3) *Magnanimitas* & Spiritus Heroicus eos idoneos reddit ad ardua negotia intrepide aggredienda Jos. I. 9.

(4) *Temperantia* tam a *magnificentia*, quam *luxuria* & voluptate, illos vigiles agilesque reddet ad negotia Eccles. X. 17. Per eandem impedientur ab iniquis exactionibus populi Deut. XV II. 16. 17. Adde Prov. XXXI. 4. 5.

(5) *Constantia* eos fulciet, ut alacriter pergant in susceptis negotiis ad finem optatum remotis obstaculis assequendum Jos. I. 18. 1. Chron. XXII. 13.

(6) *Veritas* in verbis fiduciam tam Subdito-



rum quam Confœderatorum, in qua robur imperantium consistit, provocabit.

(7) *Iustitiæ* rigor illos bonis venerandos; malis autem tremendos reddet Prov. xv i. 2. xxix. 14. Job. xxix. 14.

(8) *Clementia* tam verborum *comitate*, quam *munificentia* factorum, demonstrata efficiet, ut non solum corpora, sed etiam corda subditorum sibi devota habituri sint Prov. xx. 28. Hinc per *emphasin* Magnates dicuntur *εὐεργέται* Luc. xx. 25. Confer Job. xxix. 12. 13. 15. 16. Prov. xvi. 15.

IX. Illas virtutes tanquam *coronam* omni auro ac gemmis fulgentiorem atque verum *Majestatis*, *Sanctitatisque* characterem, quem Scriptura ut *כבוד*, *הדר*, *הדר* *gloriam*, *decusque* regnantium considerat, æstimabunt. Nam

(1) Per eas instar Dei atque Filii ejus in terris gerent, præcipue cum de Messia Regno agentes Prophetæ easdem virtutes ipsi tribuant Psal. xlv. Jerem. xxiii. 5. 6.

(2) Per eas erunt fundamenta felicitatis Reipublicæ ac deliciae populi, generisque humani, quin & suam auctoritatem firmabunt.

X. Exercitium harum Virtutum se dividit tum ad omnes partes Muneris eorum, sive in *suscipiendo* sive in *administrando* Imperium, quod tam *regendo* quam *tuendo* subjectos gerunt; tum ad omnia *Media*, quibus rite adhibitis Regnum eorum prosperabitur.

XI. Ad *suscipiendum* fasces Reipublicæ justus titulus requiritur, quo gaudent, qui ad eos a Deo, si non *immediate*, quæ quorundam in Theo-



eratia Israelis duntaxat prerogativa fuit, saltem *mediate* admoventur. Singularem enim Dei circa Regnorum constitutionem providentiam obtinere liquet ex Deut. xxxii. Dan. iv. 32. Hæc tamen sola non sufficit, quoniam Deus etiam Reges dat *in ira* Jes. xix. 4. Hof. xiiii. 10, 11. Jus ergo coram hominibus accedere debet. Eo autem pertinet *consensus populi* sive per liberam *electionem*, sive per *successionem*, illo modo, qui Legibus Status conformis est.

XII. Regnum legitime susceptum rite *administrari* debet. Huc primo spectat, ut populi Salus intrinsecus promoveatur per legitimum *Potestatum Legislativæ* tum *Judiciariæ* in *regendo* exercitium. Illa hujus fundamentum, hæc illius stabilitamentum est.

XIII. *Potestas Legislativæ* Magistratus non concernit *Leges divinas*, sed *humanas* seu *civiles*, *normam* exhibentes *actionum externarum*, per quas *salus Reipublicæ* conservari atque promoveri potest. Circa eas summo Magistratui competit *authoritas* non solum id, quod conducere videtur, *ordinandi* sed etiam, prout variæ mutationes oboriri queunt, *dispensandi* quin iterum *abrogandi*.

XIX. Generalia harum *Legum* requisita sunt

(1) Ut legibus divinis tam *naturalibus* quam *revelatis* innitantur, tanquam basi suæ, unde earum tam *justitia*, quam *equitas*, sine qua neminem in conscientia obligare possent, dependent.

(2) Ut convenient *Legibus* Status fundamentalibus, in quas fides est data.

(3) U



(3) Ut Sanctionibus talium premiorum ac pœnarum sint stabilitæ, quæ proportionem ad merita habeant, quæ proxime ex utilitate aut damno Reipublicæ dimeticuda sunt.

(4) Ut ad notitiam subditorum perveniant, idque claris verbis, ne facile lis circa sensum earum oboriatur.

XV. Potestas Judiciaria actiones & negotia Civium controversa secundum Leges tam divinas quam humanas examinat, atque premia & pœnas in Sanctione earum expressas actu dispensat.

XVI. Singularis hujus potestatis instituendæ ac tite gerendæ cura Deo semper fuit Deut. xvi. 18. Hinc *Judicia Dei* vocantur Deut. i. 17. quia non solum ex autoritate Dei, & apud Israelitas olim vice Dei, sed etiam secundum exemplum Dei, summi cœli terræque Judicis administranda 2. Chron. xix. 5--7. Quod ut eo sanctius observaretur, in portis, foro & publica populi panegyri Judicia ab antiquo sunt exercita.

XVII. Objecta hujus potestatis sunt Actiones quæcunque externæ Subditorum, non solum quæ Legibus hominum sed etiam Dei continentur, tam civiles quam criminales, sive ex officio de illis cognitio suscipiatur, sive ad ipsos deferantur. Delatio hæc spectat tum Actiones, quarum cognitionem adque animadversionem salus publica requirit, tum privatas qualescunque, unde *Processus*, ut vocantur, judiciales nascantur.

XVIII. Pro virili Christiano incumbit *Processus* evitare 1. Cor. vi. 5--8. Dantur tamen casus, in quibus permitti sunt.



(1) Si rei, de qua litigatur, insigne pondus est.

(2) Omnibus pacis viis in antecessum frustrantentatis.

(3) Quando *scopus* non est ultio injuriæ, quam passi sumus, sed aut damni æqua reparatio, aut majoris periculi averfio.

XIX. Præcipua *Judicis Christiani* officia sunt:

(1) *Causam bene cognitam* habere, atque eapropter Sententiam non ferre ante utramque partem auditam: ante media explorandi veritatem, quæ in obscuro latet, & extraordinariis aliquando viis indiget, adhibita: ante pondera probationum rite excussa Deut. xvii. 4. Job. xxi. 16. Joh. vii. 51. Act. xxv. 16.

(2) Ad *Sententiæ* formationem promte progredi, neque de industria lites protrahere Luc. xvii. 2. 3. 4.

(3) In prolatione Sententiæ *Justitiam* pro summa Lege habere Levit. xix. 15. Deut. i. 16. 1. Chron. xix. 6. 7.

(4) Ab omnibus pravis Affectibus sollicite abstinere, per quos Justitiæ rigor diminui potest, & quæ Προσωποληψίαν caussantur, severe prohibitam Deut. i. 17. xvi. 19. Prov. xviii. 5. Psalm. lxxxii. 2. Exerceri autem ea potest vel nimia *facilitate* vel nimio *rigore* circa reum.

(a) *Facilitate*, quando in favorem personæ e variis caussis Judex inclinat. Turpissimum est ubi per *munera accepta* Judex corrumpitur Exod. xxiii. 8. Deut. xxvii. 25. 1. Sam. xii. 3. 4. Jes. xxxiii. 15.

(b) *Rigor* etiam ne intendatur aut inhiando lucro



lucro; uti Jesabel 1. Reg. XXI. aut privatam of-  
fensionem ulciscendo Ezech. XXV. 12. 15.

XX. *Sententiæ* lationem sequi debet *executio*, ad  
quam spectat non solum *litis compositio*, sed etiam  
*premiarum* inter bene merentes distributio ac *pœ-  
narum* inflictio, quæ potestas Judicibus terræ uti-  
que est concessa & exercenda Prov. XVII. 15. Rom.  
XIII. 4. 1. Petr. II. 14. Latissime hæc potestas  
se extendit, tum quoad *personas*, non exceptis, ut  
Romana Ecclesia prætendit, ipsis *ecclesiasticis*; tum  
quoad *pœnas*, ad quas pertinent & *multæ* pe-  
cuniariæ, & *supplicia* tam *corporalia*, quam *Capita-  
talia*, nequicquam intercedentibus Anabaptistis  
quibusdam, veluti constat ex Gen. IX. 6. Num.  
XXV. 31. 33.

XXI. Ut *pœna* juste infligatur:

(1) Finis ejus proximus debet rite pensitari,  
qui est vel *generalis*, securitas Republicæ, tam  
respectu iræ divinæ, quam malitiæ hominum;  
vel *specialis*, & quidem in *pœna reparatoria* com-  
pensatio damni, in *pœna vindicatoria*, si *capitalis*,  
exemplum aliorum, si *non capitalis*, absterritio pec-  
cantis in futurum. Non ergo ultro in pœnas  
propensus erit Magistratus populi amans, sed vi  
obligationis, qua tenetur, ad hos fines potestatis  
ipsi demandatæ obtinendos.

(2) Prout autem hi *fines* requirunt, *proportio*  
inter pœnam & delictum est observanda, quæ  
hinc ex delicti gravitate, illinc ex personarum,  
quibus pœna infligitur, conditione æstimanda est  
*Legem talionis* hinc Deus impense commendat Exod.  
XXI. 23. 24. 25. Levit. XXIV. 18. 19. 20. Deut.  
XIX. 21. Illa tamen non semper secundum;



literam observari potest. Inde autem sequitur, quod non solum fontes non dimittendi, sed etiam infontes non puniendi, adeoque mera auctoritate humana pœna a fonte in plane infontem transferenda non sit.

XXII. Sed & *extrinsecus* securitatem populi *vereri* debet pius Magistratus contra quamcunque vim, quæ ei parari aut inferri potest. Huc spectant & *Fœdera* cum extraneis Potestatibus in-  
unda, & *Bella* cum illis gerenda.

XXIII. In FœDERIBUS, INEUNDIS cum-primis abesse debet *Fiducia* in *brachio carnis*, quæ Deo semper exosa fuit Psalm xxxiii, 16. 17. Jes. viii. 12. xxx. 1--3. Jerem. xvii. 5. Ad-  
eoque cavendum ab omnibus, quæ diffidentiam in auxilio Jehovæ involvunt.

(1) Quoad *personas*, Fœdera cum Atheis inite ipsi prudentiæ politicæ, multo magis pietati contrarium est. Neque ulla securitas inest fœderibus cum professis religionis hostibus ac persecutoribus, multo magis illis, qui *hereticis fidem servandam esse* negant. Cavendum ante omnia, ne Fœderibus cum adversæ religionis affectis ullum præjudicium nostræ afferatur.

(2) Ipsi Fœderum *Articuli* ita sint constituti, ut *servari possint ac debeant*. Nam ad res *impossibiles* atque *illicitas* nulla vincula quemquam obligant; licet nomen Dei turpissime profanent, qui ad illas scientes volentesque se obstringunt.

(3) Articuli, in quos servata hac cautela conventum est, sancte sunt servandi.

XXIV. Ubi publica Pax Reipublicæ per Hostes externos turbatur, *vis BELLII* ad eam affer-



rendam aut restituendam Magistratui Christiano est demandatum. Hoc non solum ratio sed etiam Scriptura docet, in qua occurrunt tum *Leges bellica*, quas Deus Israelitis dedit, tum *exempla* Virorum Sanctorum, Abrahami, Josuæ, Davidis, Cornelii, tum vita militaris a Joanne Baptista non improbata, sed regulis justis circumscripta Luc. III. 14.

XXV. Ut autem *Bellum sit legitimum*

(1) Ante omnia requiritur causa justa, qualis est tum satis *fontica*, quoniam vel sub justissimo titulo bellum non temere est suscipiendum; tum natura sua *justa*, qualis tum solum obtinere potest, quum jura Reipublicæ, a quorum conservatione ejus Salus dependet, alia via facta manere nequeunt. Iniquissime autem Princeps agit, qui pretextus alios belli externe præfert, etiamsi justissimi sint, alias autem causas impulsivas interne habet, non populi, sed privato lucro inhians.

(2) Bellum susceptum legitime est gerendum

(a) *Pietatis* ante omnia habenda est ratio, ut *Dominus exercituum* placetur 2. Chron. xx. 3. 1. Reg. VIII. 44. 45.

(b) *Disciplina militaris* rite exerceatur. Nec enim propitium Deum expectare poterit exercitus sceleribus contaminatus Jos. VI. 12.

(c) *Humanitatis* Leges etiam erga hostes, multo magis erga devictos & supplices exerceantur.

(d) Finis belli, *Pax*, semper respici debet, unde non diutius illud gerendum, quam ad Pacem æquam obtinendam requiritur.

XXVI. *Media*, quibus rite adhibitis Regi-

K k §

men



men Christianum maxime prosperabitur, hæc sunt.

(1) Familiare cum Deo per *Preces* commercium, per quas pii Principes *consilium* æque ac auxilium expetent, & pro suorum salute intercedent 1. Reg. VIII. 2. Chron. XX.

(2) Legis divinæ in Sacra Scriptura exstantis jugis meditatio Deut. XV 11. 18 -- 20. Jos. 1. 7. 8. Præsertim attendendum est ad exemplum legitimi Regininis, quod Deo placuit in *Theocratia Israelis* exhibere; si duntaxat accurata iudicii lance discernantur illa, quæ ut Oeconomix V. T. propria in exemplum trahi nequeunt. Ex Oceano sane Mosis vetustissimos *Legislatores* atque Rerum-publicarum conditores bibisse constat.

(3) *Humilis* propriæ indignitatis & æqualis coram Deo cum omnibus hominibus conditionis fragilitatisque in singula momenta a Deo dependentis meditatio Deut. XV 11. 20. 1. Chron. XV 11. 16. 17. Jes. XL. 23. 24. Dan. IV. 17.

(4) *Selectus* inter Consiliarios ac Ministros præsertim propioris admissionis ita instituendus ut Deum timentium ratio habeatur Psal. CI. 6. 7. Prov. XVI. 13.

(5) Fuga *parasitorum*, qui proprii lucri causa pravis affectibus potentiorum blandiuntur, *Despectiva*, quin *tyrannica*, consilia subministrant, & sub inanibus prætextibus licentiam imperantium augent. Huc inter alia pertinet detorsio *Regii*, quod 1. Sam. VIII. 11 -- 18. describitur. Hic enim non *legitimam* sed *usurpatam* potestatem describi, cujus durum jugum Israel in pœnam constitutum erat, in propatulo est.



XXVII. Officia SUBDITORUM sunt aut *generalia* aut *specialia*. Illa immediate & præcise Magistratui ab *omnibus*; hæc autem proxime *con- civibus* atque ita mediate Reipublicæ, secundum diversam uniuscujusque membri Societatis conditionem debentur. Priora non solum *Christiano*, sed etiam *impio* Magistratui debentur Rom. xiiii. 1. 2. 1. Petr. ii. 13. Huc pertinet tum *affectus* debitus, tum ejus per congrua *officia* demonstratio.

XXVIII. *Affectus* debitus involvit quoad judicium *honorem* ac *venerationem* Eccles. x. 20. Prov. xxiv. 21. Rom. xiiii. 7. 1. Petr. ii. 17. Cum *amore* autem eam conjunctam esse oportet, qui præcipue demonstratur in *oculto* per preces pro salute Principum 1. Tim. ii. 1. 2. Honorem *externe* demonstramus

(a) Per *gestuum* reverentiam, qualem Abrahamus populo regionis Gen. xxiiii. 12. Josepho fratres Gen. xlvi. 7. Nathan Salomoni 1. Reg. i. 23. exhibuit.

(b) Per *verba* eandem reverentiam spirantia Exod. xxii. 28. Ipse Paulus id agnovit Act. xxiiii. 5. Unde Stephani & Pauli acerbius dicta Act. vii. 51. xxiiii. 3. quæ extraordinariam quandam Dei dispensationem involvunt, in exemplum non sunt trahenda.

(c) Per *obedientiam*, quæ sincere ac propter conscientiam Iphis præstari debet Rom. xiiii. 5. Tit. iii. 1. Hujus *obedientie* veri termini quoad ejus tam *extensionem*, quam *limitationem* constare debent.

XXIX. Quoad *extensionem* hæc obedientia involvit



volvit omnes actiones externas exserta Lege Dei vel *innata* vel *revelata* non interdictas. Adeoque non debent excipi:

(1) *Mandata* de actionibus *occultis*, quorum inobedientiam, licet illa cognitionem fori humani fugiat, Deus novit & punit.

(2) *Duriora* mandata, quæ fortunas, ipsamque vitam corporis concernunt.

(3) *Obscuriora* mandata, quorum contrarium præcisa Lege non est definitum. Ambiguitas enim mandati non potest præjudicare mandato claro de obedientia Magistratui præstanda.

XXX. Obedientiam hanc unusquisque Christianus præstare in conscientia sua est obligatus ex iisdem argumentis, quibus §. 6. Magistratum legitime obiri posse evicimus. Addantur heic:

(1) Disertum ipsius Domini nostri tum *preceptum* tum *exemplum* Matth. xxii. 21.

(2) Pœnæ in rebelles pronunciatae tam temporales quam æternæ Rom. xiiii. 2. Jerem. xxvii. 8.

(3) Exempla judiciorum divinarum in rebelles Korachum cum sociis, Absolonem, Simei, Seba, Barrabam, Theudam, Judam Galilæum atque alios.

XXXI. Vanissima ergo sunt eorum effugia,

(1) Qui per hanc obedientiam divinæ Majestati quicquam derogari prætendunt. Quod enim *hominibus obedimus non propter homines, sed propter Dominum* fit 1. Petr. ii. 13.

(2) Qui opponunt *libertatem Christianam*, quam Apostolus commendat 1. Corinth. vii.

23. Nam



23. Nam ipse Apostolus illam limitat statim  
vl. 24.

XXXII. Et certe, quod illa *libertas* neutiquam repugnet obedientiæ Magistratus, ex *limitibus obsequii humani* rite positis apparet. Ubi enim mandatum Dei & Magistratus clare sibi invicem contrariantur, illic oportet Deo magis obedire, quam hominibus Actor. v. 29. Jus Cæsaris non derogat Juri Dei Matth. xxii. 21. Et manifesta ejus ordinis est ratio, quoniam ingens Legis divinæ præ Lege Magistratus est prærogativa, sive *universalitatem*, sive *immediatam* obligandi rationem, quæ soli priori competit, consideres.

XXXIII. Strictior adhuc est obedientia *passiva*, quam *activa*. Possimus enim ac debemus sæpe iniqua pati; sed nunquam integrum est iniqua agere. Unde intricatum est jus renunciandi in totum obedientiæ Magistratus, quando Regimen ejus in tyrannidem degeneravit. Et tum quoque inviolabilis certa ratione quorundam Potentatum *Sanctitas & Majestas* est 1. Sam. xxiv. 7. 2. Sam. i. 10.

XXXIV. Ut *Officia specialiora* hic nobis obverfantur, quæ proxime *Contivibus* exhibentur, ac per eos ad *Reipublicæ* commodum promovendum non parum afferunt momenti. Cum enim secundum Lib. ii. cap. 7. §. 65. 66. unicuique incumbat, non solum per sui sed & Proximi amorem, *Labore* honesto de necessitatibus hujus vitæ sibi providere, atque ea fini talis vitæ functio sequenda sit, quæ simul Societati est utilis; hinc omnes Virtutes, quæ in obeunda illa functione Proximo sunt exhibendæ, huc referri queunt. Vitiã  
vitan-



vitanda Lib. II. cap. 8. §. 46. sq. officia exercenda Ibidem §. 64. sq. sunt enumerata. Hic officia primaria adjungi debent, quæ his illisve *vita generibus sigillatim* conveniunt.

XXXV. Eminentiora Reipublicæ membra sunt NOBILES, ac qui illustri profapia eminent, aut ad præcipua ejus munia evehuntur. In duplici illi relatione constituti sunt. Nam & Superiori Potestati subjecti sunt, & qua *Magistratus subordinati* aliis ipsi sunt præpositi. Singularem ergo attentionem opus habent, ut utriusque vinculo ex æquo satisfaciant. Non nimis submissæ a nutu Principum dependebunt, quod periculosum erat Naemani 2. Reg. v. 18. Non nimis se extolent supra alios, reminiscens *solam virtutem nobilitare*. Fidelitatem utrumque, illinc *consilio*, hinc *ope & auxilio*, ex æquo servent, idque eo magis, quoniam præcipuæ Reipublicæ columnæ & vincula unionis inter summos Magistratus atque inferiorem populum sic agerent saluberrima erunt.

XXXVI. Clerici in Papatu sub vanis prætextibus se Magistratus obedientiæ, *Monachi* in claustris delitescens curæ Reipublicæ subduxerunt. Eo magis fas est ECCLESIASTICOS in vera Ecclesia, quemadmodum aliarum virtutum, ita *humilitatis, reverentiæ, subjectionis* sub Potestate quacunque a Deo dispensata exemplum dare, Civisque optimi vivam effigiem in Republica exhibere.

XXXVII. Proximum locum illis damus, qui *ingenium* per *studia* excolentes Reipublicæ prodesse possunt. *Publicam* magis operam collocant

Ju-



JURISCONSULTI, *Causarum Patroni* & quicumque *Justitiæ* administrationem promovent: Hos decet esse *Juris* & pro muneris ratione *peritos & amantes*. *Causæ*, quam ipsis *malam* esse constat, patrociniū ne suscipiant. *Bonam* autem non nisi convenientibus mediis defendant. Sui *lucri* ergo illam nunquam protrahant. *Contentiones & rixas* non alant, non multiplicent, sed potius, quantum in ipsis est, componant, pacisque *Christianæ* studium serio persuadere contentur. *Æqua* laboris sui mercede contenti atque *incorruptibiles* sint.

XXXVIII. *Privatum* singulis concivibus emolumentum afferunt *MEDICI*, qualiscunque ordinis, per quos corporis *sanitas* afflicta, jubente *Deo*, restituitur. His eo magis *Pietati* litandum, quo magis *successus* medelæ a *benedictione* divina dependet, & quo *occultius* lædendi ansam habent. Sint porro *misericordes*, atque aliorum malis intime tangantur. *Pharmacorum*, quæ adhibent, vires bene *perspectas* habeant, nec temere *vitam Proximi* unquam *periculo* exponant. *Pauperibus* eandem *diligentiam ac fidelitatem*, quam *opulentioribus*, præstent. *Impuritati* aliisque *concupiscentiis* nunquam *obstetricentur*. *Sancta* illis, quæ eorum *fidei* creduntur, *silentia* servent. *Vana vitæ* prolongandæ spe in *morbis* *periculosis* neminis *securitati* *carnali* patrocinentur. *Animæ Proximi* æque ac *corporis bonum* piis *admonitionibus* promoveant, ut hoc quoque pacto *summi Israelis Medici* exemplum expriment.

XXXIX. *MERCATORES* variis *tentationibus*



bus ad peccandum sunt expositi Sirac. xxvi. 38. xvii. 1--4. Fas ergo est, ut scopum sibi legitimum in *mercatura*, quam exercent, semper praefigant. Honestum lucrum quærant, non ut *ipuditescant*, quod quam periculosum sit, Apostolus monet 1. Tim. v. 9. sed ut ad communia Reipublicæ onera ferenda & pauperibus succurrendum eo aptiores sint. Ad hunc finem mediis permixtis contendant. Omnia *fraudum* genera, quæ Lib. II. cap. 8. §. 32. digito tetigimus, sollicitè caveant. Nihil etiam, quod *vires* eorum excidit, moliantur, neque *deposita* aliorum temere impendant. Quod si aliquando contingat, ut per infortunia improvisa absque culpa sua foro cedere cogantur, statum bonorum suorum ingenue aperiant, iisque se potius in totum abdicent, quam creditores suis bonis injuste privent; parati ad restituendum, quod Proximo intulerunt, damnum, si denuo aliquid lucrari queant. Denique opum terrenarum vanitatem vitæque fugacis brevitatem serio meditantes nihil sine Deo suscipiant ac thesauros permanentes quærant Jac. IV. 13--15. 1. Tim. VI. 17--19.

XL. OPIFICES quem scopum habere debeant in labore suo, Apostolus docet Ephes. IV. 28. Ad illum obtinendum artes humanæ societati utiles studiose excolant. Sirac. xxxviii. 35. 36. Illi autem feliciter facient, quando de auxilio divino solliciti semper erunt. Deus author est illius quoque peritiæ, quam opificia requirunt Exod. xxxi. 3. 4. A Dei solius benedictione successus omnis operis dependet Psalm. cxxviii. 1. Illum ergo precibus piis propitium habere quæ-



quærant. Quando manus laborant, mens sæpe altius evehi occultisque suspiriis cum Deo se unire potest. Ita agentes exemplo Christi, Apostolorum aliorumque Sanctorum, qui *Artes manuum* sancte exercuerunt, incitari atque recreari possunt.

XLI. AGRICOLÆ ad rationem vitæ primigenæ & paradisiacæ sunt vocati Gen. i. 5. Eo magis se submittant patienter maledictioni, quam peccatum invexit Gen. iii. 17--19. Benedictionem divinam agnoscant omnis *fertilitatis* terræ causam esse, quam Deus promisit in favore suo fœderatis suis Deut. xxviii. 2--5. Non ergo a suo labore, sed a sola gratia divina successum operis sui derivent Marc. iv. 26--29. Ab illa cum expectent Jac. v. 7. Et quando munificentiam Dei experti sunt, ab omni carnali securitate sibi caveant Luc. xii. 16--20. Vestigia Patriarcharum, qui ex agri proventu vixerunt, premant. Attendant denique ad tot miranda Dei in natura opera, ut per ea identidem ad magnitudinem Creatoris agnoscendam & ad analogiam, quæ inter opera naturæ & gratiæ intercedit, meditandam incitentur.

XLII. NAUTAS, quo magis in periculo mortis multiplice versantur, eo magis timori Dei deditos esse oportet. In mari videntes magnalia Dei per ea excitentur identidem ad laudandum Jehovam Ps. cvii. 23. 24. cxlviii. 7. Omnipræsentiam Dei etiam in remotissimis mundi angulis jugiter meditentur Ps. cxxxix. Quando tempestates ingruunt, ad Dominum sincere confugiant Matth. viii. 24. 25. Jon. i. 6. Quoties ex ma-

Il

gnis



gnis periculis sospites evaserunt, Deo vota sua fideliter persolvant Ps. CVII. 25—32.

XLIII. MILITES *ab omni re mala abstinere* Deus jubet Deut. XXIII. 9. Latissime hoc debet extendi ad quæcunque vitia, quibus vita militaris plus, quam aliæ functiones, exposita est. Ratio fortissima vs. 14. a *præsentia Domini* in castris petitur. Timor sane mortis, cui militia est exposita, non *temeritate* sed timore Domini est tollendus. Fortes decet esse belligerantes. Sed illa demum vera est fortitudo, quæ conscientiam amoris Dei, a quo nec mors nec vita separare potest, pro fundamento habet. In genere *pietatem* discant a Cornelio Act. x. 2. 7. *Disciplinam* observent atque obedientiam strictissimam erga superiores observent Matth. VIII. 9. Stipendio suo contenti sint Luc. XIII. 14. In aciem prod-euntes non in armis aut in brachio carnis, sed in solo Domini auxilio confidant 2. Chron. xx. 12. 17. Non inhiant prædæ. Non agantur odio personarum. Hostibus etiam fidem ac veritatem illibatam conservent. Neque in devictos quicquam crudeliter aut ab humanitate alienum committant. Iphis *arboribus* Dominus ut parcat, jubet Deut. xx. 19. Quanto immanius esset in homines sævire, & afflictis afflictionem addere?

XLIV. Postremum in Republica agmen claudunt PAUPERES. Illi onus paupertatis suæ propter voluntatem Domini patienter ferant 1. Sam. II. 7. Quo magis Bonis temporalibus sum destituti, eo magis *Bona cœlestia* quærant. Abominentur eapropter omnia media vetita re-facien-



faciendi. Neque pudore intempestivo nimium inopiam suam tegant, neque impudentia ignaviae indecora aliis graves sint. Et cum aliter Reipublicæ prodesse nequeant, *precibus* pro communi salute tempus viresque suas impendant. Benefactoribus autem suis gratos se exhibeant, atque eorum salutem æternam, quibus corporis eorum cura est demandata, ardentibus suspiriis a Deo efflagitent.

---

CAPVT QVARTVM.

De Communione Oeconomica,  
 & officiis, quæ illa Conjugibus,  
 Parentibus, Liberis, Propin-  
 quis, Heris & Servis, præ-  
 scribit.

ARGUMENTVM.

Post generalem capituli divisionem §. 1. agitur

I. De vinculo naturali 2---35. eoque triplici

A. CONJUGVM 2---19.

1. Fundamenta obligationis eorum indicantur 2. 3.

2. Obligationes ipsa enumerantur 4---19.

a. Personarum contrahentium requisita 4---8.

Ll 2

a. Ge-